

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Gottfried Weiss

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis M. Gothofredus Weiß ... Ad  
Funus Consulare, simulque Professorium, Quod ... Dn: Jacobo Lembken/ Icto ...  
Omnes omnium ordinem Cives Academicos peramanter invitat : [PP. Rostochii  
Anno. 1693. d. 3. Martii.]**

Rostochii: Wepplingius, 1693

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756285127>

Druck    Freier  Zugang



riac  
orum  
ingenium.

Kl. 241. (3.) <SON>





# PROGRAMMA

RECTOR  
<sup>2VO</sup>

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

M GOTHOFREDUS  Reiß/

Gr. L. P. P. Facult. suæ h. t. DECANUS,  
& ad D. Nicolai Ecclesiastes,

AD

Funus Consulare, simulque  
Professorium,

<sup>QVOD</sup>

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTIS-  
SIMO ATq; EXCELLENTISSIMO VIRO

DN: JACOBO



Jcto & Antecessori Academiæ, Reipublicæ  
etiam Rostochiensis Consuli, celeberrimo,  
gravissimo.

Mœstissima Vidua hodie parat,

Omnes omnium ordinem Cives Academicos  
peramanter invitat.

ROSTOCHII, Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.



Elicem imo felicissimum esse illorum statum atque sortem, qui corporeis vinculis liberati, beato discessu terris hisce, omniq; simul molestia & miseriâ valere jussis, ad amœniora transire, cœlumque inferri consortio possunt, certissimè scimus, quorum mentibus Christianæ doctrinæ jubar illuxit. Gentiles tamen

etiam subobscuram quandam futuræ post mortem vitæ notitiam adsecutos esse, vel fabulæ eorum testantur, quibus ita cudendis, non à traditionibus solum, sed naturali etiam ratiocinio, animæ post mortem immortalitatis, aliquali dubioque indice, ansa sumpta est. Unde felicitatem omnem & delicias incomparabiles fibi per dulce quasi somnum imaginati, haut levi iisdem perfruendi desiderio acti sunt. De campis Elysii, aut Elysii viretis, οὐδὲ τὸ λύτρον τῶν κακῶν, à solutione omnium malorum, juxta nonnullos (si non Eliæ atque Elisei fortè sacris & miraculis, raptuque hujus potissimum, toto orbe celebrato; cum ante tempora diuinissimorum horum Prophetarum, nomina Elysiorum cognita haut fuerint) ita dictis, quid non fabulantur Poëtæ, illorumque omnium Antesignanus & Patriarcha Homerus præcipue! Esse nimirum quasdam in Oceano insulas, ad quas post mortem deferantur eorum animæ, qui sancte religiosèque vixerint. Ibie os inter se jucundissimè ac svavissimè vivere, in amœnissimo quodam prato, quod gemmea florum, oculis naribusque gratissimorum va-rieta

rietate perpetuo distinctum picturatumque sit. Nunquam non illic nitere cœlum, frondere arbores, pubescere herbas, ridere omnia. Spirare assidue mollissimos Favonios, quorum flabelli arborum comæ leniter ventilatæ, placidissimo murmure, auribus blandiantur, & quæ alia sunt, miram svavitatem spirantia. Audiamus Venu-sinum Vatem, vivis coloribus in tabulâ quasi campo eos depingentem. Ita vero ille:

Nos manet Oceanus circum vagus: arva, beata

Petamus arva, divites E<sup>t</sup> insulas:

Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis;

Et imputata floret usq<sup>ue</sup> vinea.

Germinat E<sup>t</sup> nunquam fallentis termes olivæ,

Suamq<sup>ue</sup> nulla ficus ornat arborem:

Mellea cara manant ex ilice, montibus altis

Levis crepante lympha desilit pede.

Illis injussa veniunt ad mulcitra capelle,

Refertq<sup>ue</sup> tenta grex amicus ubera:

Nec verspertinus circumgemit ursus ovile,

Nec intumescit alta viperis humus.

Pluraq<sup>ue</sup> felices mirabimur.

Qvo spectant etiam apud Maronem illa:

Amissum ne crede diem, sunt altera nobis

Sidera, sunt orbes alti, lumenque videbis

Purius, Elysiumque magis mirabere solem

Cultoresque pios E<sup>t</sup>e.

Hausisse Theologiam suam Gentiles primitus ex Hebrais, & sacrarum literarum quoque monumentis,  
(utut in omnia aliâ detortis) à Poëtis autem sub fabularum

larum involucris & integumentis exhibitam eam, il-  
lasque adeo non pro nudis otiosorum hominum inven-  
tis promiscue habendas esse, satis constat. Hinc per  
campos etiam hosce, nihil aliud quam male intellectum  
paradisum designaverunt, fortunatasque illas insulas &  
beatorum sedem, omnibus deliciis abundantem, in his  
quesiverunt. Prout e. g. ignis a Prometheo cœlo sub-  
ductus, nihil aliud, quam divinitatis affectatio in Ada-  
mo; aurea illa tantopere deprædicata ætas, nil nisi sta-  
tus innocentiae, ita campi Elysii quid nisi umbra Pa-  
radisi illius sunt, Protoplastis ab ipso rerum Opifice Deo  
concessi. Occasionem præterea speculationibus ejus-  
modi præbuit, imortalitatis mortem excipientis opinio:  
superesse enim animam a corpore solutam sicubi sta-  
tuerunt, receptacula vero certa adsignare, deficiente  
naturalis luminis adjumento nequiverunt, tum in fa-  
bulis rem omnem desuisse mirum non est, quandoqui-  
dem veritatis divinæ revelatæ radios haut admiserunt.  
Egregia planè in promptu sunt Gentilium sapientum  
testimonia, ab aliis jam studiosè collecta, quibus su-  
peritites manere, inque alium quandam ex his locis de-  
ferri morientium animas, illi, utut plerumque hæsita-  
bundi testati sunt. Sapientissimus mortalium Oracu-  
li judicio Socrates, ita introducitur a Tullio Tusculan.  
quaest.lib i loquens: *Magna me fides tenet, judices, benemibi  
evenire, quod mittar ad mortem.* Necesse est enim sit  
alterum de duobus, ut aut sensus omnino mors afferat,  
aut in alium quandam locum ex his locis morte migretur.  
*Quamobrem*, sive sensus extinguitur, morsque ei somno  
similis est, qui nonnunquam etiam sine visis somniorum, pla-  
catissimam quietem affert, Dii boni, quod lucri est emori-  
sus quam multi dies reperi possunt, qui tali nocti ante,  
ponant.

Ponantur? Cui similis futura est perpetuitas, omnis consequentis temporis? quis me beatior? Et morti jam vicinus Idem ita inter amicos differebat: Si quid aliquando præsumus intellecturi, recedere à corpore oportet, atque ipsam mente res ipsas speculari. Et tunc ut adpareat, compotes futuri sumus ejus quod affectamus, cujusque nos amatores profitemur; cum videlicet mortui fuerimus, minimè vero dum vivimus. Non aliter imo disertius adhuc, multoque confidentius Plato discipulus Socratis in Axiocho: Transis itaque, inquit, non in mortem Axioche, sed in immortalitatem; non in amissionem bonorum, sed in sinceriores corundem perceptionem; nec ad voluptates mortali confusas corpori, sed ab omnibus prorsus molestiis purgatas. Huc enim, hoc solitus corpore proficseris, ubi requieta lataque omnia, & nulla fatiscentia senecta. Tranquillam illic perages vitam, & ab omnibus liberam incommodis. Nec sine rationibus summus hic Philosopherus id adserere videri voluit, in quibus sedulò colligendis Cicero occupatur in i. Tuscul. libro, disputationum de animæ immortalitate summas continente, ubi quoad hoc negotium, præ reliquis omnibus de explanatione hujus difficultatis solicitis, palliam Platonitribuit, tantamque ei fidem habet, ut cum eo hic errare malit, quam cum aliis vera sentire. Quanquam, si dicendum quod res est, non nisi probabiliter inducere & inclinare argumenta ibidem congesta, & quidem præcipua, maximique censenda ponderis, ut propter à functionum animæ præstantiâ, & à materiae commercio immunitate ducta; intellectum vero determinare & apodictice cogere haut posse deprehendantur. Certè animam corpori organico à Deo Creatore, non intentione dissolutionis seu separationis, sed in omne ævum duraturæ unionis inspiratam, nec ante & extra, sed de-

mum

mum post lapsus solutioni tali factam obnoxiam, & sic  
ex corpore egressuram, inq; certò diversoq; statu & lo-  
co positam, in illud aliquando regressuram, omnino ne-  
scit ratio. Indeq; dubia adeo plurimorum ex sapienti-  
bus Gentilium hāc de re, & ipsius quoque Ciceronis sen-  
tentia est. Cui enim ignota sunt illa ejus sub personā  
Attici: *Evolvi diligenter librum Platonis, qui est de animo,*  
*sed nescio, quomodo dum lego assentior, cum possum librum,*  
*& mecum ipse de immortalitate animorum cœpi cogitare,*  
*affessio omnis illa elabitur.* Quād dubius hæsit [Seneca],  
ut ut interdum insignem animi fiduciam verbis prodat?  
Et fortasse, inquit Epistolā 63. super mortem Amicī con-  
solatoriā, si modo sapientum vera fama est, recipitq; nos ali-  
quis locus, quem putamus periisse premissus est. Unde ali-  
bi passim demotritæ illa inculcat: Ut lucerne nibilo  
pejus est, cum extincta est, quād antequam accen-  
deretur, ita homo antequam vivere inciperet, nihil fuit, &  
postquam vivere desinit, prorsus in nihilum redit, quod fuit  
ante nihil. Qvæ sanè diffonna valde sunt illis, q̄ibus E-  
pist. 102. utitur, ita habentibus: *Jam eram fastidio mibi,*  
*jam reliquias etatis infracte contemnebam, in immensum il-*  
*lud tempus & in possessionem omnis evi transiturus.* Qvibus  
plura ejusdem tenoris subjicit. Qualiscunq; tamen  
certitudinis opinio talis, conjuncta vetustæ traditioni,  
vel codicis etiam Biblici, ab uno fortè vel altero antiquis-  
simorum per transennam quasi factæ inspectioni, uti di-  
ximus, dulcissimis somniis illis occasionem fecit. In  
qvibus id culpandum quam maximè, quod in nullâ re  
aliâ, quam vanis pariter & profanis voluptatibus, pro-  
ram puppimq; vitæ suæ in campis illis Elysii futuræ po-  
suerunt. Qvod etiam Tibulli sequentia, demonstrant,  
cum inquit:

Sed

Sed me, quod facilis tenero sum semper amori,  
Ipsa Venus Campos ducet in Elysios.  
Hic chorea cantusq; virent: paſſimq; vagantes  
Dulce ſonant tenui gutture carmen ares:  
Fert caſiam non culta ſegeſ, totosq; per agros  
Floret odoratiſ terra benigna roſis.

Meritoque hiſ ſomniis lepidè illuſit Thomas Morus, in Utopiæ lib. I. referens, ſub Aequatoris lineā, hinc atque inde ab utroque latere, quantum fere ſpatii orbita ſolis complectitur, vaſtas objacere ſolitudines, perpetuo fervore torridas. Cæterum ubi longius evectus ſis, paulatim omnia mansuēcere, cœlum minusasperum, ſolum vivere blandum, mitiora animantium ingenia &c. Ita nempe contigit illis, quod princeps Apoſtolorum judicat, ut in dialogismis ſeu ratiotinationibus ſuis ſtulti facti ſint, omnisque concepta felicitas in ſummam infelicitatem illis verterit. Aliter rem omnem edocti ſumus, quibus lux purissima divinitus revelati verbi affulget, non falsâ inanique ſpe deludimur, nec fruſtratum iri deſideria noſtra vereri habemus, quando hâc mortalitate expletâ, melioris vitæ, cœleſtisque gaudii interminabilis nos particeps eſſe futuros credimus. Sci- muſ ex ſacrarum literarum monumentis, indubiis di- vi- nae mentis teſtibus, expectandam nobis eſſe quietem & tranquillitatem, omnibus deliciis, aſt ſpiritualibus, affluentissimam. Hinc in pace abire, ad pacem tranſire, à laboribus quiescere & coram facie Domini reſocillari, toties dicuntur beatè morientes. Beati mortui, inquit Joh. Apoc. XIV. qui in Domino moriuntur, quia quiescunt à laboribus ſuis. Qui eſcunt utique à vo- cationis

erationis & officii negotiis s& e penumero satis superque  
molestis & onerosis; quiescunt à laboribus afflictionum  
vitæ hujus, quibus per quam variis exercentur, p̄i quām  
maximè quoad vivunt, ut ex duris gloriam nancisan-  
tur, per aspera ad astra tendant, vestigia Servatoris sui  
legentes, ejusdemque mandato, crucem quemque su-  
am ponē se bajulare serio jubentis obsequentes; quie-  
scunt à laboribus peccati, peccaminosis puta carnis  
suggestionibus, & actibus divinæ legi adversis, à qui-  
bus maxima in hâc vitâ sollicitudo, animique ægritudo  
summæ indignationi juncta oritur fidelibus, bonum  
cum Apostolo cupientibus, malum verò exsequenti-  
bus. Neque tamen sine vitâ, gaudiique cœlestis sensu  
quies hæc est. Absit asserere cum Psychopannychita-  
rum male-fano choro, animas defunctorum profundo  
sonno sopitas, tam boni quām mali sensu destitutas, ac  
tam beatitudinis quam damnationis expertes, usque  
ad mortuorum resurrectionem & diem judicii, loco  
quodam inter cœlum & terram intermedio, vel juxta  
nonnullos, in abditis quibusdam carceribus & recepta-  
culis subterraneis, à DEI conspectu exclusas quiescere ac  
delitescere, unionemque cum corporibus resuscitandis,  
& æternæ vitæ possessionem expectare. Vivit omnino  
à corporis commercio liber spiritus, alias dici haut  
posset post mortem immortalis. DEus noster non est  
DEus mortuorum sed viventium, dicitur autem Abra-  
hami & Isaaci, dudum vitâ functorum, DEus: Ergo hi  
Patriarchæ sanctissimi quoad animam vivunt, corpore  
in pulvrem converso, resuscitationem, novamque  
cum illâ consociationem expectante, quo argumento  
oblatranticibus quondam Sadducæis potentissime ora ob-  
struebat Servator. Effert secum à corpore dilcedens  
præteri-

præteriorum & objectorum hic cognitorum memori-  
am, eamque aëtu exercet. Certè anima divitis epulo-  
nis, notitiam Lazari quondam, in vitâ miserrimè ha-  
bentis, quam in corpore olim habuerat, se adhuc  
dum tenere, ab eodem sequestratam, certô certius si-  
gnificat, Luc. XVI. Cur autem animæ in cœlesti sede ha-  
hitanti id denegaretur, quod in orco excruciatæ con-  
cedendum est. Vivit ita, ut illico à morte fruatur  
beatitudine & lætitia cœlesti, conspectu DEI, & suavis-  
simo consortio Angelorum sanctorum, totiusq; trium-  
phantis in cœlo Ecclesiæ. Vitam ergo illi contingere  
felicissimam pariter ac jucundissimam quis negaverit?  
quandoquidem, qvod unicum sufficit probando inenar-  
abili gaudio, conspectu Triunus DEI fruitur, visio  
enim DEI, juxta effatum Theologicum, tota merces  
est. *Dum sunus in corpore, uti patheticè, in prælentissi-  
mum animæ afflictæ solatium Apostolus loquitur, pe-  
regrinamur à Domino, (per fidem enim ambulamus, non per  
speciem) confidimus autem & probamus magis peregrè abesse à  
corpore, & praesentes adesse apud Dominum.* S. Ignatius,  
martyrii coronam reportaturus, omnique conatu eò  
tendens: *Dimitte me, ait, bestiarum esse cibum, per quas  
est DEO potiri, demitte me purum lumen accipere, illic adve-  
niens DEI homo ero.* Hæc illa desiderata pax, hæc, quam  
fideles animæ anhelant altissima qvies est. Quantum  
vero à felicitate Gentilium, per somnium quasi con-  
ceptâ distat? Felices ergo nos & ter quaterque felices,  
qui non solùm migrandum esse ex hâc vitâ scimus, sed  
etiam qvæ nos, eâ peractâ, conditio maneat, infallibili-  
ter cognoscimus. Eoq; adspirant, eò desideria sua di-  
rigunt, de futuro hac ratione meritò solliciti Christia-  
ni, neq; spe suâ frustrantur, qvin potius omni opinio-

B

ne

ne majora conseqvuntur , nec enim oculus vidit, nec au-  
ris percepit, neqve animô unqvam homo concepit, qvæ  
præparavit DEUS sui amantibus. Deductus ad hanc  
tranqvillitatem qvoqve est *Vir Nobilissimus, Amplissimus,*  
*Consultissimus* qz DN. JACOBUS LEMBLE / JCrus & An-  
tecessor Academiæ h. celeberrimus, Consul etiam , ra-  
ro & vix usitato haçtenus exemplo ( hoc enim virtus e-  
jus haut sanè vulgaris meruit ) Reipublicæ Rostochien-  
sis, majoribus qvotidiè meritis inclarescens. Hic, si ullus  
alius, vitæ hujus ærumnosæ gravaminum pertæsus, illius  
melioris conseqvendæ desiderio incessanti flagravit, &  
paucis ante mortem diebus, cum gravissimâ valetudi-  
ne correptus, inter animi potissimum angores desuda-  
ret , ingeminavit : hic non esse qvietis & refectionis lo-  
cum, ibi verò, in cœlis nempe, benè sibi futurum, ibi supe-  
ratis corporis animiq; infirmitatibus , plenissimâ se liber-  
tate fruiturum . Qvibus piissimis sanè cogitatis, ansam  
fateor, præmissæ meditationi nostræ qvalicunq; dedit. Ut  
autem paucis vitæ ejus historiam more sveto pertexamus,  
ortum suum debet Parentibus & Majoribus Clarissimis,  
siq; de nihilo non est Euripidis sententia illa : nihil esse  
tam honorificum liberis, qvam bonis & honestis natos  
esse Parentibus ; omnino id contigisse B. n. censendum  
est, qvippe qvi longâ serie, Majores, Consulari & Senato-  
riâ dignitate inclutus , à ducentis fere annis , & qvidem  
alternantibus in officiorum prædictorum splendore  
HERMANNIS & JACOBIS LEMBKENIIS, numera-  
re potuit. Patrem habuit *Virum Nobilissimum, Consultif-  
sum atq; Excellentissimum* DN. HERMANNUM Lem-  
ken / J. U. D. & Prof. P. celeberrimum, Amplissimæ Fa-  
cultatis Juridicæ Seniorem , simulqve Reipublicæ Ro-  
stochiensis Syndicum , egregiis meritis conspicuum ;

M.

Matrem vero feminā honestissimam, virtutibusq; sexum  
hunc co<sup>m</sup>endantibus fulgidissimam ELISABETHAM  
**Schnittlers.** Avum paternum venerabatur *Virum Amplissimum, Prudentissimumq;* DN. JACOBUM Lembken  
Senatorem veteranum, & Camerarum meritissimum,  
Aviam paternam *feminarum Clarissimam, ANNAM Gribnitzent/* DN. HENRICI Gribnitzent/ Civis heic qvondam Primarii filiam, in cuius morte sublatæ locum, per secundas nuptias successit laudatissima Matrona ANNA Habemans/ nomine qvidem nov<sup>er</sup>ca, reapse tamen aviæ matrisqve munia implens. Avum maternum laudat, *Virum Integerrimum atqve Spectatissimum* DN. JOHANNEM Schnitler/ spectabilis Collegii sedecimvirorum hujus Reipublicæ membrum primarium, Ædisq; Marianæ præfectum optimè meritum; Aviam maternam, *matronalium decore fulgidissimam* ELISABETHAM Gusebiers/ *Amplissimi Viri* DN: HENRICI Gusebiers/ Senatotis & Camerarii Rostochiensis Filiam. Proavus paternus ipsi extitit *Vir Prudentiae laude inclitus* DN. HERMANNUS Lembke/ Reipublicæ Rostochiensis Senator, de bono publico præclarissimè meritus; Proavia paterna, *femina optima*, MARGARETA Beermanns/ ex vetustâ Beermanniorum & Croniorum familiâ prosata. Abavo paterno inclaruit *Viro Nobilissimo, Consultissimo, Amplissimumq;* DN. JACOBO Lembken/ Consule Civitatis gravissimo, dexterrimoqve; Abaviâ paternâ, *Ornatissimâ virtute & pietate Matrona, TALIA Beselins/* ex antiquissimo Beselinorum genere oriunda, Abavum maternum habuit *Virum Amplissimum* DN. JOHANNEM Schnitler/ oppidi Langeschede/ in dicecesi Coloniensi Consulē; Abaviam maternam Gertrud Körbes. Ex tam fœcundo bonarum mentium semine

B 2

quid

1546

qvid nasci non poterat egregium? Quid non ex illis sideribus prodire radii? Prima verò cura Parentes amantissimos, de quæ hoc conjugii sui carissimo pignore sibi maximopere gratulatos, hæc tenuit, ut, qui humanam à se hauserat, Christianâ & novâ vitâ, mediantibus saluberrimis baptismi fœderalis undis potiretur filius. Exinde sollicitè habitus est, omni que operâ & studio in id enitendum sibi duxerunt prælaudati parentes, ut solidæ pietatis ornamenti, à teneris efformaretur unguiculis. Cumque habilis ad literarum studia ingenii, haud obscura in primâ jām pueritiâ daret specimina, privatis primū Præceptoribus traditus est, ut informationem ætati & ingenio ejus convenientem adhiberent. Dehinc Scholæ hujus loci commissus est, ut sub manu ductione Præceptorum, & præprimis Rectoris B. BLASII GRABII felicissimi ingeniorum formatoris, juventutisque Magistri, incrementa majora eruditio[n]is caperet. Probè sic in humaniori literaturâ versatus, ad altiora, quibus erat natus, applicabat animum, electoque ex superioribus studiis Juridico, Virorum Excellentissimorum Consultissimorumque b.'m. Dn. D. JOHANNIS MITZE. LII. Juris dehinc Prof. Regiomontani, & Dn. D. CASPARIS HABERMANNI, Prof. Almæ hujus, institutioni se dedit, quorum laudabili industriâ, ut & docendi peritiâ ac felicitate singulari id effectum est, ut juris elementa rectissimè hauserit. Sed patriæ glebæ adhærere ultra, haut è re & decoro videbatur, hinc Lipsiam omnis præclaræ literaturæ metropolim, ex consilio suorum adire constituebat, allectus potissimum famâ Virorum unde quaque celeberrimorum, quibus tum caput extollebat Academia illa, quos inter ECHOLTUM totâ Germaniâ & exteris quoque regionibus celebratissimum

num, & SCHWENDENDORFFEROS, eâ tempestate flo-  
rentes, & publicis æquè ac privatis lectionibus ac disputati-  
onibus maximo cum applausu vacantes, sedulo audivit; No-  
bilissimi tamen Dn. D. PAULI ROMANI, JCti & Prof. Ex-  
cellentissimi, fideli privatâque operâ præprimis usus, de quo  
studiorum moderatore non unâ vice sibi gratulatus, mul-  
tumque se illi debere liberè professus est, sanctam semper fer-  
vans beneficiorum, ex hoc fonte in se derivatorum memo-  
riam. Sed & cupido ipsum incesserat Argentoratensem vi-  
fendi Academiam, magnique nominis viris, REBHANIOscilicet,  
& BOCLERO, verè literariæ rei proceribus, aliquique innote-  
scendi. Eò ergo se bonis avibus contulit, & aliquandiu ibi-  
dem commoratus, cum in tantum explevisset desiderium suum,  
favoremque Virorum prælaudatorum insignem, castissimis  
moribus suis & eruditionis quoque documentis egregiis sibi  
conciliasset, abitum meditatus est. Helvetiâ inde salutatâ  
& inspectâ, in Belgium profectus, & illam non tam par-  
tem orbis, quam imaginem & compendium quoddam mira-  
tus est. Vedit amplissimam urbem Amsterodamum, in quâ  
totius mundi opes quasi maritimo quodam recipiuntur hospi-  
tio, florentissimum illud Europæ emporium, quod suffici-  
unt putrescentes pini; universamque Hollandiam, aliasque  
adsitas Provincias, Academias item Groningianam & Franeker-  
ianam non obliuiosus spectator lustravit. Noverat benè spe-  
culatorem se in exteris regiones missum esse, ad res huma-  
nas explorandas, ad statum Rerum publicarum noscendum &  
pernoscendum, ut obsetvatu dignâ, in usum aliquando trans-  
ferret. Reversus exinde domum est, ut voluntati suorum  
satisfaceret, inibique eruditionem suam, egregiis incremen-  
tis auctam, patriæ dulcissimæ testamat facere satagens, dis-  
putationem publicam, de pecuniâ Iusticâ, sub præsidio Viri  
Nobilissimi Consultissimique Dn. GEORGII RADOVII, JCti  
& Prof. eo tempore Academiæ hujus celebratissimi, nunc  
Reipubl. Lubecensis Syndici Prim. & Capituli Cathedralis ibidem  
Præpositi fulgidissimi, eximiâ cum laude, benignisque applau-  
dentium suffragiis habuit. Anno 1671. alio documento pro-  
bare eruditionem suam & in studio Juris profectus, apud ani-  
num constituit, publico Amplissimæ FCtatis examini se stitu-

E,

rns

1670

rus. Cujus etiam rigorosa tentamina expertus, talem se præstit, ut omnium calculo dignissimus deputaretur, qui summis in utroque Jure mastaretur honoribus; pondusque haut leve existimationi jam partæ addidit disputatio inauguralis, de Exceptione Senatus consulti Macedoniani, quam patrocinii haut indigus egregiè defensitavit. Collegia hinc varia Juridica, benignè indulgente Amplissimo JCtorum ordine, virtutis ejus haut ignaro, habuit, frequenti Auditorio nunquam destitutus: ea enim fuit ejus in docendo perspicuitas, dicendoque suavitas, ut accedente industriâ, singularique quâ pollebat humanitate, attrahere fovereque ab ore pendentes facile nulloque negotio quiverit. Arrisit ingenium ad majora factum, pariterque studium publico bono profuturum, Amplissimo urbis hujus Senatui, Academiac Compatrono munifico, qui eum exinde Professorem suum voluit ac designavit; quod officium, benevolentissimè oblatum, sumptâ prius infulâ Doctorali, Anno 1674. d. 4. Septembr. solenniter suscepit. Qualem succedente tempore in eo se præstiterit, longâ commen-tatione exponere superfluum duco. Loquatur cathedra, lo-quantur lectionum, disputationum, Collegiorum exercitia innumera, loquantur tot Principum Consiliarii, Doctores, causarum Patroni, aliquie hinc inde regendis Rebuspublicis admoti Viri, omni laude dignissimi, qui Lemkenianis horis, Jurium fundamenta se debere haut inviti fatebuntur. Cum autem cœlibem porro vitam agere, haut conveniens sibi duceret, connubialia sacra meditatus est, amoresque ambiit, Virginis tunc Nobilissimæ, rarisque virtutum ornamenti fulgidissimæ, MARGARETÆ MEVIÆ, Incomparabilis illius, omni-que laude nostrâ majoris JCTi, cui jure meritoque applies illud, non omni ævo Phœnicem nasci, vereque adeo Illustris, Dn. DAVIDIS MEVII, summi Tribunalis Regii, quod Wifmariæ est Vice-Præsidis &c. dilectissimæ Filiæ. Successit ex voto negotium, ita ut Anno 1679. nuptiali eam foedere sibi sociaret; neque infocundum hi Conjuges, mutuo amore fla-grantissimo se complexi torum experti, sed benedictionis di-vinæ merito, quatuor dulcissimorum pignorum parentes faeti sunt, nimirum, DAVIDIS HERMANNI, MARIAE ELI-SABETÆ, JACOBI EMANUELIS, & ANNÆ, quæ ultima, stat im

statim à partu extincta est, reliquis adhuc superstribus, quæ  
fovere gratiâ suâ summum Numen velit, ut in pietate, aliis  
que virtutibus & honestis occupationibus, felices progressus  
faciant, nee ab avitâ virtute degenerent. Majus tamen adhuc  
malum partus hic ultimus, non uno contentus attulit. Ipsi  
enim Mater, atrocibus violentis que doloribus superatis, reddi-  
toque uteri onere, acerbæ mox succumbere morti coacta est.  
Quantum hoc ipso vulnus, cordi beatè defuncti nostri infli-  
ctum sit, judicare facilè est, iis maximè, quibus ignotum  
haut est, quâ animorum consensione, quam placidè, nunquam  
reconciliati Conjuges hi vixerint. Luctu decenter peracto,  
ad secunda vota transire è re suâ duxit, divinæque providen-  
tiæ nutu ac dispositione, tori sociam novam adsevit, Virgi-  
num lectissimam, Nobilissimam ANNAM MARIAM Schwar-  
kopffs / Viri Consultissimi Amplissimique Dn. CASPARI  
Schwarzkopffs / Jcti, Sereniss. Duc. Mecklenburg. Consiliarii,  
Civitatisque Wismariensis Consulis Senioris & Syndici, am-  
plissimis meritis, magnisque negotiis incluti, primogenitam;  
quæ ipsum pariter pulchram prole Parentem fecit, enixa scilicet  
ELISABETAM CATHARINAM, CASPARUM, JOHAN-  
NEM FRIDERICUM, non diu superstitem, ANNAM MAR-  
GARETAM, & CAROLUM DIETERICUM, itidem jam  
denatum: quam Patre orbam pariter sobolem, providissimo,  
summoque omnium, qui filii vocantur Patri in cœlis commen-  
damus. Substiterat hactenus in Academicis circulis B. N.  
inque illis, celebritate nominis haut vulgari auctus, persiste-  
re, in Professorii muneris negotiis exercitatissimus, decreve-  
rat. At enim vero, aliter quam ex opinione nostrâ res mo-  
deratur summum Numen, quo disponente Civitas inlyta Ro-  
stockiensis, uno ore, unoque affectu eum expetiit rebus suis  
Præsidem. Electus itaque, Patrum Conscriptorum conspiran-  
tibus suffragiis in Consulem est, Anno 1691. 20. April. Ex quo  
tempore quam laudabiliter præfuerit, quantam in consiliis  
oportuni capiendis prudentiam, in dandis fidem, in exse-  
quendis promitudinem demonstraverit & constantiam; quâ  
humanitate & comitate, ad devinciendas hominum volunta-  
tes naturâ genitus & velut industriâ factus, omnium favorem  
sibi conciliare studuerit, r̄s ipsâ satis superque testata est, neq;e  
livor

1691. 20.

Ivor ipse id facile diffiteri poterit. Paucis multa complectar: iis  
B.n. virtutibus præpolluit, eō in hanc Rempub. affectu fuit, ejus-  
que saluti sollicitè adeo advigilavit, ut cum M. Tullio Gi-  
cerone, PATRIS PATRIÆ, cum Aristide JUSTI, cum L. Cal-  
phurnio Pisone FRUGI cognomina, jure suo mereatur; majori-  
busque sine omni dubio meritis indies inclariisset, si longius  
producere vitam ei datum esset. Cumverò nulla laus alia, cum  
verâ pietate & religionis studio comparanda sit, tanta sanè in  
B.n. hæc ipsa quoque fuerunt, ut vix majora in ullo alio esse  
potuerint: Deum sincero pectore coluit, nullum à sacris medi-  
tationibus diem reliquum fecit, conscientiæ rationem curatissi-  
mè habuit, labem peccati vel nativam vel contractam, piâ con-  
fessione, comitante semper alto pectore conceptâ de admissis  
peccatis tristitiâ, eluere studuit; sicquevitâ Deo placente, ad  
mortem etiâ, quam frequentissimè meditabatur, nunquam non  
paratus exstigit. Et quidem prodromum hujus, morbum melan-  
cholico-hypochondriacum gravissimum, haut ita pridem sensit,  
cui debellando, cum Excellentissimorum hujus loci Medico-  
rum, Dn. D. BARNSTORFII & Dn. D. SCHAPERI, Professorum  
& Practicorum famigeratissimorum, Dnn. Collegarum honora-  
tissimorum, cura omnis & industria haut fuerit, elapsâ die 20.  
Februar. accedentibus ad ultimum Epilepsia insultibus,  
spiritum Deo reddidit. Communis inde luctus totam hanc Ur-  
bem occupavit, quæ unius biennii circiter spatio, tertium jam,  
post LIEBHERRIUM & FISCHERUM, quanta Nomina! quan-  
ta Reipublicæ hujus quondam columnæ! amissum, illorum  
virtutis æmulum, denuo luget Consulem. Resarciat da-  
mnum benignissimus Deus, malaque omnia, quæ tanti por-  
tendere casus solent, ab hâc Republîcâ clementissimè avertat.  
Impleat Is etiam solatio sancti sui Spiritus, mortem hanc acer-  
bissimis lachrymis deplorantes, Matrem, Conjugem, liberos,  
propinquos; nosque omnes novissimorum salubriter recorda-  
ri faciat. Quod restat, Cives Academiæ, ut Defuncto, eâ quâ par est  
frequentiâ eatis exsequias, eo ipso affectum vestrum in Viri mo-  
rita testaturi, majorem in modum ab omnibus &  
singulis contendo. PP. Rostochii

Anno. 1693. d. 3. Martii,  
Conventus sicut horâ I. in Æde B. Virginis sacrâ.

¶(O)¶












Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.

the scale towards document

ges ac Principes s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> attoniti audire: Suas  
eminentis vim, non secus ac Demosthenici  
petum imperij Proceres s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> sensere. De  
s non tantum privati, sed & publici partibus,  
minis forma, de religionis purioris vindicijs,  
ibus recte instituendis, litium prolixis telis  
ad publicam salutem conservandam necessaria  
ovellorum nostri ævi, novas Utopias somni-  
luit alter Sulpitius, studio, usu, experientia, &  
sed & archivis actisq; publicis haustâ scientia  
olanè lepore differebat. Deniq; Encomio Lucij  
ctorū disertissimū & oratorū juris peritissimū  
t. Accedebat naturalis cum decenti venustate  
ta gravitas, in divino cultu pietas, in homini-  
s, in negocijs expediendis dexteritas, in adver-  
peris continentia, in fortunæ instabilitate  
quâ bonæ conscientiæ scuto munitâ, omnes  
imniatum, invidiæ & livoris iclus ac mortus  
repulit. Aulicis negocijs gravibusq; causis  
& occupatisissimus fuerit, semper tamen  
n respexit, ejus ut quondam alumnus, ita  
as defensor, imo & excultor perpetuus fuit.  
viro consultissimo Joanne Albino, pandectarum Pro-  
dente, eidem in officio suffetus & in collegium Juridici  
us fuerit; præstitit se quoq; in hac vita statione fidum  
tiones crebræ, publicæ curæ & molestiæ, eum aulicos &  
tiri & Labeonis JCt ex exemplo annum quasi cum labori-  
quibus tamen cum sensim nimis irretiri & aulæ astringi  
caria viri consultissimi Christiani Obmichy J. D. eximij,  
demicum sibi creditam, luculenter feceravit. Virtuti-  
n adversus affectuum motus, & adversitatum impetus  
navit, seq; invictum reddidit: ast à morbis corporis se-  
otius quò animo fortior, ed semper fuit corpore debilior:  
um in itinere quodam officij ratione sucepto, correptus  
ti initio typum tertianæ simplici gessit, ita non multo  
sentavit, & inædis inducijs indulcis, majori paulò post  
tuans, incrementum sumpxit, in quartanam degenerans,  
Accesserunt lienis & mesaræ obstrunctiones, & quar-  
oles scorbutus, perennis iuidem à capite ad fauces & pul-  
ascens indelinens tusus, cuius vehementia, venula pul-  
monum